

Confraria dels Mercers Botiguers de Teles (Barcelona)

**Pro syndico Confratriae Merceriorum Botigeriorum
Telarum civitatis Barcinonae contra syndicum
Confratriae Parxeriorum ejusdem civitatis /
Referente ... Michaele de Calderò ...**

[Barcelona? : s.n., p. 1677].

Vol. encuadernado con 26 obras


Signatura: FEV-AV-M-04356 (21)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente



JESVS, MARIA, JOSEPH.

P R O

SYNDICO CONFRATRIÆ MERCERIORUM BOTIGIERIORUM TELARUM Civitatis Barcinonæ.

C O N T R A

SYNDICUM CONFRA- TRIÆ PARXERIORUM ejusdem Civitatis.

REFERENTE NOBILI MICHAELE DE CALDERÒ doctissimo R. A. Consiliario.

Not. Preve.

DESIDERIVM Syndici Cōfratriæ Merceriorum in præsentī Cauſa, in eo ſiſtit, quod ejus Confratribus competit juſ privativè ad Parxerios, & alios quofcunq; vendendi quâlibet ſpeciem mercium, etiam ſi ſint operationis ſpectantis ad Parxeriorum officium, & quod nullatenus valent dicti Parxerij vendere dictas merces, & præcipuè Paricium. Filum cœruleum, Calamos, Acus, & alia, & mulog

A minus



2
minus merces alias, etsi earum operatio sit dicti Officij, dū modo fabricatæ minimè fuerint per ipsos Parxerios, vt plenius apparet ex deductionibus omnibus totius processus.

2 Pars alia dictorum Parxeriorum intendit posse, non solum vèdere operationes per ipsos fabricatas, verùm etiam quaslibet aliasquæ respiciunt suum Officium, etsi fabricatæ sint per alios Officiales, vel ab exteris exportatæ, & per eos emptæ, ad effectum revendendi in eadem forma qua fuerūt emptæ, sicuti etiam cæteras merces supra mentionatas.

3 Intentionem autem Syndici dictorum Merceriorum, esse valde fundatam, & juri conformem, Parxeriorum verò omninó ratione destitutam, ex sequentibus facile patebit.

4 Etenim sciendum est Regio Privilegio 20. Desembris 1472. concessio, per Serenissimum Dominum Regem Joannem, prohibitum omnibus fuisse, tenere apothecam, vulgo Botiga, Taula, ó Taulell dictæ artis Merceriæ, quin prius per triennium practicaverit in Domo alicujus Magistri, & in dicta arte fuerit examinatus: Quod quidem Privilegium extitit confirmatum, & similis concessio facta, per Serenissimum Regem Philipum, suo Regio Diplomate dato Barcinonæ die 1. Julij 1599.

5 Postmodum, in Ordinationibus editis per Consiliarios, & Concilium ordinarium Civitatis Barcinonæ die 30. Novembris 1626. post separationem Confratriæ Merceriorum, seu Botigieriorum Telarum, ab alijs Officijs Confratriæ Sancti Juliani, legitur in cap. II. ibi: *Item, que no sia licit, y permes à ninguna persona de qualsevol grau, ò condició que sia, de parar Botiga, porta, taulas, ò taulells de telas, y mercerías, ni vendre à la menuda aquellas publicament ni amagadament, dins la present Ciutat de Barcelona ni sugurbs de aquella, que primer la tal persona no sia examinada del Estament de Mercer Botiguer de Telas, à pena, ò bant de qui lo contrari farà de 10 ₧ moneda Barcelonesa per quiscu, è per quiscuna vegada que serà fet lo contrari: Quæ quidem Ordinatio fuit confirmata, Cap. 9. Ordinationum anni 1676. in favorem Confratriæ*

4
cie, & forma qua fuerunt emptæ, quasi Mercatores, istos quæ esse dictos Botigerios, & non alios, & ferè sunt innumerabiles declarationes factæ in Domo præsentis Civitatis, quibus fuit habitum pro certo, mercium nomine contineri omnes res venales sub eadem forma qua emptæ fuerunt; etsi pertinentes ad peritiam alicujus Officij; de quibus est videre in processu.

10 Atque ideo vti exploratum existimari debet, dictos Mercenarios in vim dictorum Privilegiorum, & Ordinationum validè posse dictis Parxerijis prohibere, ne dum venditionem Papiri, Fili cœrulei, Calamorum, & Acuum; verùm etiam, & rerum quæ sunt de peritia sui Officij, si tamen illæ minimè ab eis fuerint fabricatæ, sed eas emerint, vt revendant inmutata forma.

11 Nequaquam foveri valent dicti Parxerij, Ordinatione atque Privilegio quibus innituntur, nempè Cap. 15. Ordinationum concessarum per Civitatem, & Consiliarios Barcinonæ 24. Novembris 1582. cujus litera sic se habet. *Item, de aqui al devant, ningun obrer de Passamaner, ni Parxer, ni altra persona alguna, que no sia examinada, no puga en manera alguna publicament, ni amagadament tenir Botiga, ni obrar, ni à menut vendre, ninguna manera de franjas, passamans, parxas, llistas, ni altres maneres de guarnicions de robas, que ab Talers de diverses maneres se acostuman de fer, ò fançò se pogan fer, è açò sots pena à quiscu, è per quiscuna vegada que farà lo contrari, de 60 q.*

12 Cujus quidem Ordinationis, expostularunt dicti Parxerij Regiam Confirmationem, pro vt eam obtinuerunt, in calce petitionis per eos oblatae 13. Julij 1599. ibi: *Plau à sa Magestat se fassa com en dit Capitol se contè*; hæc enim jura, & non alia sunt sub quorum asylo, hanc prosequuntur litem Parxerij; sed quam debilia sint inferius demonstrabitur.

13 Præmittendo prius aliquas vti conclusiones certas amplexatas per DD. quæ omninò clarum, & patens edoccebunt optimum jus Merceniorum, & prætensum per Parxerios debellabunt.

Pri.

14 Prima sit, quod in ea quaestione inter scribentes agitata, quid mercatura contineat, & quale sit proprium Mercatorum, seu Negociatorum exercitium, communi DD. suffragio habetur, quod Mercator, & mercatura exercetur, quoties res emitur, & postea lucrificandi gratia, minimè mutata forma revenditur: ita ut, actus vendendi rem emptam lucrandi gratia, vnicè tribuitur mercaturæ, ut expressè cavetur in *cap. ejiciens distinct.* 88. *Stracch. de mercat. part. I. nu. 22. & 23. Federic. de Senis. conf. 207. col. I. vers. Negotiatio. Abbas conf. 6. in fine. Surd. decis. 313. num. I. & ibi Hodierna nu. 2. Cancer var. 3. cap. 10. nu. 10. & II. Xammar rer. judic. diffin. 104. nu. 5. & 7. Claper in sua Cent. caus. 35. quæst. 6. nu. 4. & 5. 9. & 10. Barbof. de appellat. verb. sig. appel. 26. nu. 3. & 4. Tusch. conclus. 519. lit. A nu. 3. Scacc. de commer. §. I. quæst. I. nu. 9. & §. I. quæst. 7. par. 2. ampl. 2. nu. 7. verbo, tamen. Sperel. decis. 94. num. 14. Quesada Pilo disert. 22. à nu. 97. Eminen. Lugo de justitia, & jur. tom. 2. disput. 26. sec. 3. nu. 21. Castro Palao tract. 16. disp. 4. punct. 13. §. 3. n. 2. Anton. Conciol. allegat. 58. nu. 5. & ad statuta Eugubij lib. 5. rub. 1. num. 3. qui omnes pleno ore fatentur, pertinere ad mercaturam, omnem actum emendi revendendi gratia merces, non mutata illarum forma.*

15 Minimè nos latet, in præsentì Civitate, pro ut in alijs adeste stamentum, vel statum Mercatorum, ad cujus nomen sortiendum plura requiruntur, pro ut referunt Doctores, & nos experimur, ut pluribus relatis Conciol. *super statut. Eugub. lib. 5. d. rub. 1. nu. 5. Novar. de elect. fori quæst. 23. ex num. 3:* attamen minimè intendimus de Mercatoris vocabulo strictè sumpto, sed, ut ex se est, & juxta jus commune, nimirum de mercaturam exercentibus; & juxta hunc sensum loquuntur DD. num. præced. Laudati quibus additur *Novar. d. quæst. 23. nu. 2. vbi quod negotiatio, & mercatura, & Negotiator, seu Mercator juxta subjectam materiam idem sunt.*

16 Secunda sit conclusio, quod artifex dicitur ille qui rem emit, & mutata illius forma eam revendit, puta emendo lanam, ut faciat sagulas, chartam, ut faciat libros, ligna-

mina, vt faciat scamna, tabulas, scabella, & similia, ex d. cap. ejiciens, §. quicumq; rem 88. distinc. S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4. ad 2. Ludovic. Roman. in l. si Publicani §. de rebus col. 1. nu. 5. ff. de Public. & vectigal. Strach de mercat. par. 1. nu. 23. Alexan. Jason in l. cetera 43. §. sed & si quis, ff. de legat. 1. Alciat. in l. mercis appellatione 66. vers. Inde enim, & in l. mercis appellatione 207. nu. 1. & 13. ff. de verb. signif. DD. in cap. final. de vita, & honest. Cleric. Rot. decis. 194. nu. 7. par. 4. recent. tom. 2. Cancer var. 3. cap. 10. nu. 13. Bellet. in disquis. Clerical. p. 1. de exemp. Clericor. §. 4. nu. 5. Martra de iurisdic. par. 4. cas. 3. nu. 11. Passerin. tom. 2. de statibus ques. 187. art. 2. Verb. negociatio nu. 145. cum seq. & plures ex supra citat. num. 14.

17 Ita vt, actus vendendi per artificem, tunc tantum artificio tribuetur, & vti artifex dici poterit vendere, si mutata forma ejus artificio, rem emptam vendiderit, vt ita exemplificant supra citati, & præcipuè Tusch. lit. A conclus. 519. nu. 2. Barbof. appellat. 26. nu. 4. & appell. 149. nu. 4. quibus addimus Farinac. in frag. crimin. par. 1. lit. C. nu. 167. pluribus laudatis Conciol. ad statut. Eugub. lib. 5. rub. 1. nu. 4. & citat. allegat. 58. nu. 4. ibi: *Quia d. Magister Lucas, vti Faber Lignarius, licet emat lignamina ad effectum conficiendi scamna, scabella, fulmenta lectaria, & similia: tamen cum dicta lignamina ipse non reuendat in eadem forma qua fuerunt empti, sed manibus operando illa reducat in aliam formam, conficiendo vt dixi ex dicta rudi materia, & lignaminibus emptis, scamna, mensas, scabella, & similia, ipse non dicitur Mercator, sed artifex cap. ejiciens 88. distinc. &c.*

18 Quibus præhabitis faciliè manuducimur, ad demonstrandum optimum jus Merceriorum, contra Parxerios in præsentī causa: quia si mercatura exercetur quotiescunque res emitur, vt in eadem forma reuendatur lucrandi gratia, & artificium solummodo animadvertitur, quando quis emit aliquam rem, seu materiam, & manibus operando, & per artificium illam reducit in aliquam formam; fatendum necessario venit, quod Parxerij, vti Parxerij, tanquam artifices, in

vim

7
vim sui Officij, tantummodo valebunt vendere ea quæ suis manibus operando fabricaverint in suo Officio, aliás autem si nulla operatione adhibita, merces etiam spectâtes ad peritiam sui Officij emerint, vt in eadem forma lucri causa re- vendant non ex suo Officio illis permissum censi potest, eum non sit actus artificij, sed mercaturæ.

19 Nequaquam autem, Parxerij suffragari valent verba illa, quæ leguntur in Ordinatione confirmata Regio Privi- legio jam supra mentionata, ibi: *Item, de aqui al devant, ningu obrer de Passamaner, ni Parxer, ni altra persona alguna, que no sia examinada, no puga en manera alguna publicament, ni amagadament, tenir botiga ni obrar, ni amenut vendre ningu- na manera de franjas &c.* quatenus ex illis inferri intenda- tur concessa libera facultas vendendi parxas &c. etsi mini- mē eas fabricaverint, sed emptæ fuerint, vt eadem forma re- venderentur.

20 Animadvertendum enim est, quod in dicta Ordina- tione mens ipsorum Parxeriorum, & dictæ Civitatis, alia nō fuit, quam præscribere formam ipsi officio Parxeriorum, vt denotant verba illa exposita pro confirmationis Privilegio obtinendo, ibi: *Perço que dits Mestres Parxers pogan viurer, y sustentat sas casas en la present Ciutat, de son propi Offici, com es just perque &c.* atque ideo, cum vendere merces, quas ipsi Parxerij non fabricarunt, sed eas emerunt, vt eadem for- ma revenderent, non sui officij Parxeriorum sit, sed merca- turæ, sive negociationis, vt supra firmatum extitit: inde est, vt verba illa, *ni à menut vendre*, sint limitanda ad ea, quæ sui artificij fuerint, & non aliás: quia quantumvis verba sint generalia, restringuntur iuxta subjectam materiam, l. cum pa- ter §. donationis, ff. de leg. 2. l. si unam, & ibi Bartol. ff. locat. Cancer par. 1. cap. 1. nu. 78. Ramon consil. 61. nu. 38. Capyc. Lat. consult. 32. nu. 28. cum sequen. Tondut. quæf. Civil. cap. 130. n. 9. Xammar rer. jud. d. de fin. 52. ex nu. 50. præsertim nu. 53. usque ad finem, qui ferè in proprijs, imò strictioribus terminis lo- quitur.

21 Suadentur amplius prædicta: quia si illa verba vendere aliter intelligerentur, sequeretur maximum absurdum; quia tunc confunderetur dicta officia Parxerorum, & Merceriorum; cum Parxerij non solum possent ea, quæ sui Officij sunt expedire; verum etiam, & ea quæ pertinent ad Mercerios; vendere scilicet merces non mutata forma, emptas lucrificandi gratia, cui jus omnino resistit: cum intersit reipublicæ, ne quis Officio alterius se immisceat. Juxta *tex. in l. consulta di. valia Cod. de testam. l. quicumque Cod. de exequutor. & actor. lib. 12. l. 3. Cod. de Fabricen. lib. 11. cap. singula 89. distinc. Urcellius consult. legal. 47. nu. 27. Cabedo decis. 158. nu. 3. Gratian. discep. foren. cap. 678. nu. 2. tom. 4. Quesada Pilo contro. foren. cap. 29. sub nu. 34. & nu. 35. & 36. Font. decis. 393. nu. 3. 4. & 5. tom. 2. Xammar rer. jud. defin. 52. ex nu. 1. & de Privileg. Civitatis Barcinonæ §. 4. nu. 37. in fine, & quod maximum est, ita declaratum extitit in R. A. referente Nobili Michaële de Calderó, in causa Cribatorum, vulgo *Garbellados*, contra Propolas, vulgo *Revenedors*, sententia lata 8. Julij 1677. Not. Subirana.*

22 Pariter aliud resultaret absurdum; quia juxta expositionem ex adverso prætensam dictorum verborum: *ni à menut vendre*, minimè fas fuisset Mercerijs vendere parxas, & alia quæ ad officium Parxeriorum attinent; ratio est in promptu, quia in dicto Regio Privilegio officio Parxerorum concessa, facultas illa vendendi parxas, & similia ad dictum Officium spectantia, concessa animadvertitur privativè ad alios quoscunque; cum ergo Mercerij, Parxerij non existant, neque in officio Parxerorum examinati, sequeretur, quod ipsis dictarum rerum venditio prohibita foret, vigore dictorum Ordinationis, & Privilegij: quod in contradictorio judicio in còtrarium declaratum fuit; ne igitur hoc sequatur absurdum, necessario asseverandum est, dicta verba: *ni à menut vendre*, dumtaxat intelligi, de rebus per dictos Parxerios fabricatas, non vero de illis, quæ non mutata forma, etsi ad suum Officium illarum operatio spectet, venduntur in eadem for-

ma,

ma, qua fuerunt emptæ lucrificandi gratia.

23 Mirabiliter fulcita patebit intentio Merceriorum sequenti dilemmate; nempé aut Parxerij intendunt, ex vi sui proprij Officij, sibi permissum esse vendere parxas, non ab ipsis fabricatas, sed emptas revendendi gratia in eadem forma; aut existimant foveri merè ex ipsa deliberatione Civitatis, Regio Privilegio roborata: si est primum, prorsus falluntur; quia ratione Officij, tantummodo eis competere posset facultas vendendi res per ipsos fabricatas; quia hoc solum est proprium sui Officij, revendere autem non est officij Parxeriorum, sed Merceriorum, pro vt supra.

24 Si secundum, pariformiter maximè decipiuntur, ex multis, & signanter ex sequentibus: Primo, quia si revendere merces ab alijs fabricatas, & non mutata forma est alienum ab officio Parxeriorum, & proprium Merceriorum pro vt ita certo certius est juxta superius stabilita; nullatenus valuit Civitas, hoc tribuere officio Parxeriorum, sicuti de hac re mirabiliter est compacta dicta *diffin.* 52. apud Xamarer. jud. & signanter nu. 10. vbi decisionem nostri Regij Senatus factam 15. Aprilis 1581. refert, ibi: *Si enim Dominus Rex in Cathalonia non potest uti plenitudine potestatis, Cancer par. 3. cap. 3. nu. III. & 112. Josef. Ramon plures allegans conc. 37. nu. 273. clarum est, eum multo minus voluisse, aut potuisse illam Civitati concedere: unde in nostro Regio Senatu 15. Aprilis 1581. inter Confratriam Sartorum Gerundæ ex una, & Confratriam Calligariorum ejusdem Civitatis ex altera partibus, referente Magnifico Regio Consiliario Antonio Ros, fuit decisum, quod licet Consiliarij possunt unire, & dividere Confratrias, non tamen possunt ea quæ sunt propria unius officij, concedere alteri Officio.*

25 Idem Xammar infra à num 28. ibi: *Est ergo decretum ambitiosum, quando Civitas nostra deliberat, & decernit sicuti in nostro casu, vt una Confratria exerceat Officium alterius Confratriæ, sunt enim Barcinone officia divisa per Confraternitates, quibus singulis statuta, sive Ordinationes, vel Reges, vel*

Civitas ipsa ex Regijs Privilegijs tribuerunt, ut notat noster Fontan. tom. 2. decis. 393. num. 1. & nihil inter ista sodalicia est magis præcipuum, quam ne una Confratria attingat officium alterius &c.

26 Secundò; quia Civitas minimè statuere valet, circa Confratrias, contra Regio Privilegio disposita. Xammar de Privileg. Civit. §. 12. nu. 54. & d. defm. 52. à nu. 41. & §. 13. à nu. 30. & pluries sic, modernis temporibus declaravit R. Senatus: atque ita cum Regio Privilegio muniantur Mercerij, quo cæteris omnibus prohibetur merces revendere in eadē forma, nequaquam poterat Civitas, contra dictum Privilegium, Confratriæ Parxeriorū quidquam concedere, & vtramque rationem amplexavit R. Senat. in d. R. Sententia Admodum Illuf. Joanne Bap. Pastor referente lata.

27 Nec Regiæ intentionis potuit vnquam esse, confirmare dictam Ordinationē, nisi quatenus contraria non fuisset Privilegijs dictæ Confratriæ Merceriorum prius elargitis, juxta Const. I. tit. de Privileg. y immunitats vsatic. auctoritate, & rogatu tit. de donacions vsat. quoniam per iniquū tit. de Guatjes Salvaguardas, y penas. Mieres collat. 4. in Cur. 2. Barcinonæ Jacobi 2. rub. de interpret. jur. pat. Ugo concil. 16. nu. 17. Ramon concil. 24. nu. 95. Fontan. de pactis claus. 4. glos. 10. par. 2. nu. 31.

28 Coronat prædicta omnia, Regia Sententia lata referente dicto nunc Admodum Illustri, & Nobili Joanne Baptista Pastor, qua canonisatæ manent ratiocinationes omnes, quibus dicti Mercerij nituntur, & illius Regia conclusio literis aureis debebat transcribi, ibi: *His igitur, & alijs meritis processus attentis, & alias sua Excellentia insequendo conclusionem in Regia Audientia, pronuntiat, sententiat, & declarat non licere Tiraterijs, & alijs artificibus dictæ Confratriæ Julianorum, nec alijs quibuscunque personis non examinatis in dicto officio Merceriorum Botigeriorum Telarum, tenere apothecam, vulgo Botiga, taula, ò taulell telarum, & mercium, nec alias minutatim vendere clam, seu publice intus Civitatē Bar-*
cinonæ

cinona ejusque suburbia; imò mercium venditionem minutatim ad dictos Mercenarios Botigerios Telarum spectare, privativè ad alias quascunque personas, etiã ad naturales Principatus Cathalonia, & Comitatum Rossilionis, & Ceritanie, quæ pro se, & suis sumptibus, suoque risico, & periculo sportaverint, seu sportare fecerint, à Regnis exteris, & consequenter dicta pignora contra dictum facta, quoad dictas merces, nempe digitalia, filea carulea, & Rosaria incatenata ritè, & rectè facta fuisse: quò verò ad alias res apprehensas in dicto pignora, videlicet Rosaria concatenata, singula serica, & filea, vulgo tafetans, y vetas de fladis, strigmenta serica Italie, vulgo tiretas de tafeta de Italia. Attento ex testium depositionibus ministrorum super articulis oblatis per dictum Fornès 21. Aprilis 1655. in causa recursus per ipsum interposita, à dictis pignora coram Consiliarijs Civitatis, constat dicta Rosaria concatenata fuisse per dictum Fornès, & sic nomine mercium non comprehendi, cum non sint exposita venalia in eadem specie, & forma qua emptæ fuerunt, constat etiam &c. : His igitur &c.:

29 En vbi artifices Confratriæ Julianorum, intendebant revendere merces, ab eis non fabricatas, eo prætextu, quia erant propriæ suorum Officiorum, & ita fas esset illis libere vendere Rosaria incatenata, digitalia, fila carulea, & alia quorum operatio erat ex peritia suorum Officiorum respectivè: Attamen R. Senat., ea solertia qua solet, insequendo jura superius expensa, cum distinctione suum protulit judicium; videlicet pignora factas de Rosarijs incatenatis, & aliis rebus in quibus nulla erat operatio, sed vendebantur in eadē forma qua emptæ fuerunt, ritè ac rectè factas fuisse; illas vero de Rosarijs concatenatis per dictū Fornès, & venalibus expositis, illegitimè exequutas fuisse eo expresso motivo; quia in dictis Rosarijs dabatur operatio sui Officij, & ita nequibant sub mercium appellatione comprehendi, cum mutata venderentur.

Quare &c. Salvo semper &c.

DEVALDA.

CELLARÈS.

